



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

IV. Eius nativitas & horoscopus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

quam ea tota solo æquata, nouam moliri. Et hæc quidem multorum fuit, schisma omne auersantium, sententia: donec tandem homo quidam confidentissimus prodiret, qui velut ille Ephesini templi incensor, Ecclesiam à fundamentis subruere aggressus est, vulgatis passim opinionibus suis ac commentis, & ad partes suas quamplurimis religiose vitæ defensoribus alijsque libidinosis hominibus, summa propoſita vitæ licentia, traductis. In summa, cælum terræ permiscere, & ex diuersis atque inter se pugnabribus opinionibus constitam ac miscellaneam religionem homo hic fabricari voluit.

Qui quoniam non minus quam Germaniæ Lutherus, funesta Galliæ nostræ fax fuit, non abs re facturus mihi videor, si vitam eius, mores, doctrinam, & quibus in ea propaganda modis vsus sit, fatis aliquanto descripsero atque indicaro. Ex huius enim capite tanquam è Pandoræ pyxide, omnia mala, ca amitates & miseræ, quibus pulcherrima Europæ pars penitissime iam diu afflicta fuit, prodierunt atque exundarunt. (a) Nomen eius omnibus quidem notum est, at ingressus eius & cetera quæ ad hanc rem pertinent, plerisque latent. Multa tamen interrim, ab alijs prodita omittere mihi visum: præsertim quum verear ne apud quosdam plus odium valuerit quam veritas: momente etiam ipso pro uerbis, cum laruis luctandum non esse, exemplo Agamemnonis apud Homerum iniquientis, minime committendum esse, ut eorum qui in sepulcris quiescunt, manes vellicemus, au-

conuicijs ac contumelijs oneremus. Mihi quidem nihil de hoc homine scribere constitutum est (quamuis multa hic lector à nemine alio prodita deprehensus sit) quam quæ vel ipsius subiecti argumentum mihi suggeret, vel fide dignissimorum hominum testimonia, vel etiam historiæ & libelli à noua illa reformatione hic ibi passim exclusi atque exclusi, suppeditebunt.

IV. Ioannes Caluinus, funesta Galliæ, immo totius Christianæ Reipubl. fax, ac tantorum malorum auctor, natus est Nouioduni in Picardia X. Iulij Anno MDIX. O diem Nefastum, qui non hominis, sed longæ miseriarum nostrarum catenæ natalis fuit! Nomen ei primū fuit, Ioannes Chauuinus; pater Gerardus Chauuinus; mater, Anna Fronæa: sed quemadmodum Lutherus primum suum nomen mutauit; sic noster hic non Chauuinus, sed Caluinus appellari voluit. Sed quom ne hoc quidem nomen satis ipsi placeret, eo fortasse quod transpositis litteris, impius ille atque atheus Lucianus inde resulter, Alcuini nomen sibi aliquādiu sumsit, eius qui Caroli magni præceptor fuit, magnam laudem ob institutam Parisiensem Academiam consequurus: uti apparet ex prima Institutionum Caluini editione, Argentorati Anno M. DXXXIX. primitus vulgata, quæ nomen hoc aperte præ se fert. Quia vero supra famosorum hæresiarum Lutheri & Melancthonis Natiuitates seu themata genethliacæ posui: pat sane videtur ut tertij huius horoscopum itidem subiungam; cuius typus sic habet:

a Surius in Comment. Præteolus in Catal. Hæret. Bolſcius in Vita. Romanus in Idea Caluini. Demochares. Vasquerius. Sainctes. Zindanus. Abraham Bæuius in Annalibus. Caietus. Heshusius & estphalus. Sibilusburgius. Vide Reginald. fol. 259. Serarium in Caluino stigmatico.